

von Thorn wiederum in Schönwald eine Niederlassung einzurichten. Ihre Bemühungen waren jedoch erfolglos, indem ihnen, ausser einer Geldentschädigung im Jahre 1623, nur das Patronatsrecht über die Schönwalder Kirche zugestanden wurde. —

Mit dem Jahre 1836 waren in den polnischen Landen, die unter preussische Oberhoheit gekommen, alle Benedictinerinnenklöster, welche Magdalena Mortęska entweder selbst gestiftet oder reformiert hatte, aufgehoben. In russischen und österreichischen Landen blühten die Klöster noch weiter fort und so finden wir in Oest.-Galizien heutzutage noch 3 Klöster, in welchen die Culmer Reform noch treu beobachtet wird; zu Lemberg nämlich zwei und eines zu Przemysl.

Auch in russisch Polen befinden sich noch einige Klöster dieser Congregation, welche jedoch, Dank dem russischen Cäsaropapismus ihrem Untergange entgegengehen. Sahen wir doch, wie noch in den letzten Tagen des verflossenen Jahres 1893 einige alte Schwestern aus ihrem Kloster gewaltsam ausgetrieben wurden. Kroze in Samogitien gegründet e. 1642 war nach dem polnischen Aufstande von 1863 als aufgehoben erklärt, den Schwestern jedoch noch gestattet, im Kloster bis zu ihrem Tode zusammenleben zu dürfen. Den Russen währte es zu lange und so traf der Befehl ein, die armen, alten Schwestern nach Kowno in das dortige Benedictinerinnenkloster zu bringen. Es war ein harter Abschied, doch gehorsam fügten sich die Schwestern, von denen die jüngste wenige Monate vorher ihr fünfzigjähriges goldenes Professjubiläum gefeiert.

Mögen die beiden übrigen unseres Wissens noch nicht unterdrückten Klöster von Wilno und Kowno mit denen zu Lemberg und Przemysl im Geiste der seligen Stifterin Magdalena Mortęska weiter fortleben zum Segen des Landes und zur Ehre und zum Ruhme des Ordens des hl. Vaters Benedictus!.

De Canonis Missae Apostolice cum nova dicti Canonis explanatione Disquisitio Critico-Liturgica.

Auctore R. P. D. Francisco Beda Plaine, O. S. B.

(Conclusio, vide fasc. II. 1894. pg. 279—289.)

§. 9. Nobis quoque peccatoribus, et conclusio hujus explanationis Canonis.

Oratio: Nobis quoque peccatoribus, finem Canonis imponit sed non videtur gaudere eadem antiquitate ac oratio praecedens. Hujus primam assertionis rationem superius attuli desumptam ex eo quod secundum diptychum sanctorum ignotum erat tempore

S. Augustini. In secundo loco animadvertendum est in hac oratione nullam adesse connexionem cum participatione mystica corporis Christi, quae tamen jam proxima fit. Hinc mihi videtur probabile istam precatorem additam fuisse temporibus, quibus dicta participatio mysteriorum Christi, frigescente charitate, rara fiebat, ut inserviret tamquam supplementum et benedictio pro his, qui non de facto communicabant.

Potest etiam supponi quod ex eo die, quo memoria defunctorum posita est in loco, quem nunc occupat, necessarium fuit ut aliqua precatio interponeretur inter istam defunctorum memoriam et Orationem Dominicam. Nam adest regula perantiqua in Liturgia, juxta quam oratio defunctorum sisti debet non in ultimo loco bene vero in penultimo.¹⁾

Aliunde permanent quasi inintelligibilia ista verba: Nobis quoque, si non illa praecederet oratio pro defunctis exarata siquidem hic expresse et nominatim invocantur Sancti, qui regnant in coelis.

In hac vero nova serie Sanctorum prae aliis electorum et honoratorum iterum non ponuntur nisi martyres, ut praecedenter sed numerus eorum nihil determinati et mystici habere videtur.

Insuper qui nominantur, pertinent ad utrumque sexum et sumuntur ex diversis ordinibus et gradibus Ecclesiae. Sic:

1. Joannes Baptista Praecursor est Domini et maximus Prophetarum saltem Veteris Testamenti.

2. Stephanus protomartyr praeponitur Matthiae Apostolo forsitan ob famam eximiam Thaumaturgi, qua gaudebat post Inventionem corporis sui tempore redactionis hujus orationis.

3. Matthias Apostolus, qui poni non potuerat in praecedenti serie (quia S. Paulus debebat Romae nominari, et sic complebatur duodenarius numerus) in hac locatus est quasi unus de collegio duodecim Apostolorum.

4. Barnabas, Apostolus secundi generis ac etiam discipulus Domini, nominatur, ut puto, quia Inventio Corporis ejus recenter habita anno 488 eum magis celebrem tempore Gelasii reddiderat.

5. Ignatius nominatur quasi unus ex praecipuis discipulis Apostolorum.

6. Marcellinus presbyter et Petrus exorcista, martyres Romani magni nominis, coluntur die secunda Junii.

Alia nomina, quae supersunt, pertinent ad femineum sexum scilicet:

1. Felicitas, martyr Romana valde illustris et mater septem filiorum una die coronatorum.

¹⁾ Missalis Romani, Rubricae VII, 6.

2. Perpetua, martyr Africana, cujus Passio multum est celebris.

3. et 4. Agatha et Lucia, Virgines et martyres Siculae a S. Gregorio Canonii additae teste Aldhelmo.²⁾

5. et 6. Agnes et Cecilia, Virgines et Martyres Romanae et ubique notae.

7. seu ultimo loco Anastasia Vidua, et martyr Romana.

In summa sunt quindecim nomina Sanctorum, qui pertinent non solum ad Romam sed ad Ecclesiam universaliter consideratam. Eis superaddi posset S. Joseph ex devotione jubente Romano Pontifice, quia numerus eorum non est mystice determinatus.

De epocha redactionis hujus orationis nihil certi habetur nisi quod sit anterior S. Gregorio, qui numerum Sanctorum, quarum nomina in ea adsunt, complevit: sed sine causa attributa est S. Hieronymo, quia commentarium in Psalmum LXXII v. 17. in quo invenitur citata spuria est scriptio.²⁾ Probabile mihi videtur eam insertam fuisse in Canone a S. Gelasio et non posterius: nam certum est eam exhiberi in sacramentario dicti S. Gelasii pro officio Feriae quintae in Coena Domini, quod sacramentarium in ista re omnis est interpolationis expertus, et diversum ab officio Gregoriano pro eodem sancto die

Conclusio vero hodierna hujus orationis: Per quem haec omnia, valde conveniens est, pia et mysteriis plena. Sed nullam connexionem necessariam habet cum dicta oratione. Unde ista potuit primitus, ut jam monui, uniri cum oratione: Supplices te rogamus.

Aliunde haec verba non dicebantur olim quotidie sed solum in diebus, quibus afferebantur ad benedicendum a sacerdote fruges novae, uvae, fabae et similia: nam super haec et non super Corpus et Sanguinem Domini, tunc promebantur verba, et efformabantur tria signa crucis: cujus rei signum est et demonstratio usus hodiernus benedictionis Olei infirmorum in die Coenae Domini, siquidem haec benedictio seu consecratio aliquod est vestigium hujus antiquae consuetudinis et fit praecise in loco, ubi olim benedicebantur uvae et fabae, ut jam animadvertat Amalarius in nono seculo.³⁾

Conclusioni vero ipsi, de qua nunc tractatur, imponitur quasi finis ritus quidam valde sublimis quinque signorum crucis, unitorum verbis: Per ipsum, et cum ipso, etc. Qui ritus incognitus erat, ni fallor, omnibus antiquis Patribus. Immo tempore S. Augustini hic ponebatur ritus fractionis panis, qui nunc se-

¹⁾ De Laude Virginitatis c. 42.

²⁾ Patrol. latina t. XXVI, p. 1094.

³⁾ De Ecclesiasticis officiis 1, 12.

quitur Orationem Dominicam.¹⁾ Florus Lugdunensis, auctor noni seculi, primus est Liturgistarum, ut mihi videtur, qui istius ritus verborum: „per ipsum et cum ipso“ mentionem facit explicitam. Unde facile crederem hunc ritum, cujus proprium est objectum extollere secundam personam Sanctae Trinitatis, non fuisse excogitatum et institutum nisi post Arium, Nestorium et Eutycheten, tanquam clypeum contra nefanda horum impiorum dogmata: nam tria prima signa crucis, quae efformantur cum hostia intra calicem mihi videntur quasi confessio implicita aequalitatis trium personarum in Sanctissima Trinitate, quae nobis per Christum manifestata est, duo vero alia signa crucis extra eundem calicem, efformata ad distinctionem Patris et Spiritus Sancti a Filio videtur pertinere.

Hic sistit Canon Missae, et consequenter etiam terminatur praesens explanatio seu inquisitio diversarum, quibus constat idem Canon, orationum et uniuscujusque particularis consideratio. Sed post tot indagaciones et collationes testimoniorum Patrum quarti et quinti seculorum negari non potest, ut mihi videtur, dictum Canonem antiquiorem esse quarto seculo desinente, siquidem integer quoad substantiam, nobis exhibitus est in variis scriptis Sanctorum Optati, Augustini, Innocentii et aliorum, excepta unica oratione: Nobis quoque peccatoribus.

Nunc vero tam solido praejecto fundamento non impossibile forsitan erit astruere eundem Canonem Missae ubique in Ecclesia tunc temporis receptum fuisse seu quasi vim legis habuisse.

Art. 5. Canon Missae idem erat seculo quarto in toto Occidente.

Dum superius astruerem orationes diversas Canonis Missae jam in eo contineri seculo quarto desinente, innixus sum ad hoc stabiliendum super testimonia plurium Patrum, qui vixerant in variis regionibus nostri Occidentis unde ex his testimoniis solide eruitur eundem Canonem in eodem Occidente habuisse tunc temporis vim legis. Sed pondus et gravitas hujus assertionis, quae ex se solutionem quaestionis Apostolicitatis ejusdem Canonis praestaret, me impellunt, ad eam de novo speciatim elucidandam, ut ejus certitudo solidius asseratur.

Porro primo mihi offertur una epistola dogmatica S. Coelestini Papae, cujus verba aenigmatica forsitan viderentur, si Liturgiae sive Gallicanae sive Ambrosiana sive Gotica eundem jam vivente Coelestino habuissent vigorem seu tenorem, quo fruebantur in septimo vel octavo seculo; sed quaestio de aetate dictarum Liturgiarum opportunius remittetur ad appendicem, ne filum prae-

¹⁾ S. Augustinus, Epist. 169, n. 16. Textus ejus paulo inferius integer producet.

sentis tractationis interrumpatur. Sic vero loquebatur Coelestinus Pontifex scribens episcopis Galliae ad confutationem Pelagii et ejus sequacium:

„Praeter eas Beatissimae et Apostolicae Sedis sanctiones, quibus nos, piissimi Patres, pestiferae novitatis elatione dejecta, et bonae voluntatis exordia, et incrementa probabilium studiorum, et in eis usque in finem perseverantiam ad Christi gratiam referre docuerunt, obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae, ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur ut legem credendi lex statuat supplicandi.“¹⁾

Haec ultima verba: „legem credendi lex statuat supplicandi“ maximi jure merito sunt ponderis apud theologos, sed ea, quae praecedunt „obsecrationum sacerdotalium sacramenta“ non omni etiam sunt animadversione indigna. Nam pluris interest scire quid sint istae sacerdotales obsecrationes, ab Apostolis traditae, et in Ecclesia universa uniformiter celebratae. Non agitur procul dubio de forma Baptismi aut Poenitentiae, vel Matrimonii, quia istae formae nihil habent commune cum obsecratione sacerdotali, siquidem non sunt deprecatoriae, sed agitur de collectis Sacramentariorum, et imprimis de collecta excellentissima quae nuncupatur Canon Missae efformatque praecipuam obsecrationum sacerdotalium.²⁾ Porro si Coelestinus tractat in loco allegato de collectis et de Canone Missae, aperte pugnat in favorem meae sententiae, siquidem tunc obsecrationes sacerdotales, quarum mentionem faciebat, uniformiter ubique in suis diebus celebrabantur. Fatendum est equidem verba S. Coelestini, nimium in se generalia esse, ut vim habeant demonstrativam, sed si conferantur cum testimoniis, quae attulimus in praecedenti explanatione Canonis Missae, multam inde vim acquirunt, indubiamque reddunt saltem pro Occidente, sententiam, quam hic propugnare intendo. Haec sufficiant de meo primo teste.

Secundus vero testis adsit eximius Doctor Hipponensis. Pluribus enim vicibus asseruit S. Augustinus in suo tempore universum per orbem Ecclesiam tenuisse eundem agendi morem in sacrificio altaris.³⁾ Porro voces: agendi mos, et Canon Actionis multam analogiam prae se ferunt, seu potius unum et idem significare videntur. Quae res ut clarius elucescat, audiatur idem Sanctus, dum mentem suam circa modum conficiendi sacra mysteria exponit S. Paulino, qui eum interrogaverat de vero sensu hujus loci primae epistolae S. Pauli ad Timotheum: „obsecro primum

1) S. Coelestinus Epistola XXV. ad episcopos Galliae, nr. XII.

2) Verba enim Pontificis sunt generalia, licet postea loquatur speciatim de Collectis in Parasceve usitatis.

3) Epistola 54 ad Januar. nr. 8; et alibi passim.

omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.¹⁾ Paulino sic respondet Augustinus: „Eligo in his verbis intelligere quod omnis vel paene omnis frequentat Ecclesia, ut preces²⁾ accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum antequam illud, quod est in mensa Domini, incipiat benedici; orationes vero cum benedicuntur et sanctificantur et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia dominica oratione concludit.³⁾ Quae sequuntur ad praesentem tractationem non pertinent, sed negari non potest verba, quae citata sunt, pro objecto directo habere preces usitatas in Missa ante et post consecrationem seu eas, quas comprehendimus sub nomine Canonis Missae, et quae hodie sicut in diebus S. Augustini Oratione Dominica concluduntur. Licet vero eadem non particulatim enumerat sanctus Doctor, ipsae tamen voces, quas usurpat, eas aequaliter in specie denotant: scilicet vox precatio indicat orationem: Te igitur, in qua dicitur: rogamus et petimus; vox vero oratio referri debet ad illam: quam oblationem in qua benedicuntur sacramentum et in qua dicitur: „Tu Deus in omnibus, quaesumus“ nam oremus et quaesumus, idem omnino sonant. Petitio tandem vocatur a Sancto collectio dictarum preces et orationum, quia revera Canon Missae fere nihil aliud exhibet nisi petitiones.

Aliunde quidquid sit de istis analogiis, illud indubium remanet post verba Sancti Doctoris tam explicita, nempe, quod vivente S. Augustino, omnis vel paene omnis Ecclesia iisdem utebatur preces et orationibus in sacramentorum celebratione. Porro ista affirmatio mihi sufficit, et nihil ei addere opus est, siquidem stabilita jam antiquitate Canonis Missae Romanae, impossibile est supponere eundem Augustino, non adfuisse in mente et in intentione quando talia asserbat.

Testis sit tertius S. Optatus, episcopus Milevitanus, cujus verba jam supra allata sunt. Iste fortis athleta veritatis non descripsit in particulari preces et ritus, quibus in suis diebus utebatur Ecclesia pro confectione sacramentorum, sed summam eorum comprehendens sub uno vocabulo Legitimum, quod fere idem sonat ac Canon, manifeste asseruit hos ritus, hasque preces non diversos esse tunc temporis secundum loca et regiones, bene vero ita fixos ut sacerdotes Donatistae non possent eos praeterire.⁴⁾ Quae assertio meo proposito sufficit, ut jam dixi.

¹⁾ I. Timoth. 2, 1.

²⁾ Alii codices, in quibus et nostri sunt, non habent: obsecrationes, sed preces. — S. Augustinus, Epist. 149 n. 12.

³⁾ Epistola 149, n. 16.

⁴⁾ Optatus: Adversus Parmenian. lib. 2, 12.

Sed inter scriptores quarti seculi, quorum testimonium cum majori fiducia hic invocari potest, nullus forsitan clarius locutus est auctore jam citato Operis de Sacramentis in sex libris divisi. Nam iste anonymus dicit aperte „Ecclesia Romana est, ejus typum in omnibus sequimur et formam.“¹⁾

Iste anonymus, talia asserens, de Baptismo revera non de Missa loquebatur, sed verba ejus, ut patet, generalia sunt, et insuper quando venit ad sacramentum altaris, duo explicitè protulit idem auctor fragmenta orationum, quae ad hoc in suo tempore inserviebant. Porro ista duo fragmenta nihil aliud sunt quam duplex portio fere litteralis Canonis Missae Romanae superius allegata.²⁾ Unde sine dubio iste auctor annumerandus est iis, pro quibus Canon Romanus Missae erat typus et forma aliarum ecclesiarum.

Concludendum est ergo dictum Canonem non solum antiquiorum esse seculo quarto desinente, sed etiam eundem tunc temporis viguisse uniformiter in Africa, Hispania, Gallia, uno verbo in toto Occidente vel etiam in universa Ecclesia Catholica, ut asserebat superius S. Coelestinus, licet nihil affirmare audeam de Oriente deficientibus omnino explicitis testibus. Qua vero de causa tanta dicto Canoni concedebatur auctoritas, nisi quia ab Apostolis originaliter procedebat? Nullam prorsus aliam invenio. Sed operae pretium erit rem latius prosequi et solidius astruere, mediantibus scriptis antiquorum Patrum, et documentis Historiae ecclesiasticae trium priorum seculorum.

Art. 6. De Canone Missae in tribus primis Ecclesiae seculis, et de S. Clemente ejus putativo auctore.

Postquam ostendi in praecedentibus articulis Canonem Missae seculo quarto antiquiorem esse, nunc ulterius procedens ejusdem Canonis in seculis antecedentibus vestigia diligenter requiram, ut ejus vera origo clarius nota reddatur. Sed pro dolor! rariora fiunt testimonia, quia documenta et scripta, quae tractabant de incunabulis Christianae religionis, pro majori parte, ut scitur, igni tradita sunt jussu Diocletiani Imperatoris. In campum tamen apertum prosiliam, nec sine spe aliquos superstites racemos colligendi.

Et primo liceat mihi recordationem facere insignis Pontificis Sylvestri, qui tantis institutis praesertim in re liturgica ditavit Ecclesiam Romanam. Porro quis non miretur nullam unquam tanto Pontifici attributam fuisse partem in compositione Canonis Missae? Nonne tale silentium indicium est seu probatio indirecta anterioritatis dicti Canonis? Res est mihi quasi indubia. Quae

¹⁾ De Sacramentis, III, n. 15.

²⁾ Confer articulum praecedentem in §. 5 et 6.

opinio demonstrativis tamen testimoniis fulciri oportet, ut lectori fide digna judicetur. Porro in passione S. Fructuosi episcopi Tarraconensis (21. jan. 305) alluditur meo iudicio dicto Canon Missae, et isto modo solide astruitur talis documenti supra Sylvestrum anterioritas. Cum enim a S. Fructuoso pertracto ad tribunal proconsulis quidam peteret, ut eum in mente haberet et oraret pro illo, respondit martyr: „me orare necesse est pro Ecclesia catholica ab Oriente usque in Occidentem diffusa.“¹⁾ Porro fructuosus in hoc momento loquebatur ut sacerdos et Pontifex, loquebatur de precibus quas fundebat in sacrificio altaris et speciatim meo iudicio de oratione: Te igitur in qua oratur expresse pro Ecclesia catholica . . . in toto orbe terrarum diffusa. Sed ista oratio initium est Canonis, ut jam dixi, qui consequenter jam compositus erat. Viginti annis ante Passionem S. Fructuosi, Romanam regebat Ecclesiam S. Eutychianus (280—285), et tanquam auctor habetur alicujus statuti circa benedictionem novarum frugum in Missa.²⁾ Quae benedictio habebat locum, ut supra ostensum, est paulo ante expletum Canonem³⁾ ac proinde probat indirecte dictum Canonem antiquiorem esse S. Eutychiano.

Eadem conclusio solidius adhuc eruitur ex scriptis S. Cypriani Episcopi et martyris insignis (c. ann. 250): In his etenim pluribus vicibus Canon Missae vocatur *Precatio* quasi excellenter seu *Oratio* cui addere aliquid nefas est.

Sic se exprimebat, verbi gratia, Sanctus episcopus, recensens majora crimina Schismaticorum Novatianorum Romae et in Africa tunc grassantium: „Hostis altaris. aiebat, adversus sacrificium Christi rebellis . . . contemptis episcopis et Dei sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare.“⁴⁾ Porro hic verba: precem alteram illicitis vocibus facere non intelligi possunt nisi de novi canonis sacrilega redactione. Deest equidem nomen Canon: non deest ipsa res. Nam antequam usitata fuisset locutio Canon Missae, orationes, quibus constat iste Canon, vocabantur uno nomine *precatio* ut jam patet ex S. Augustino supra allato, cui optime concordant S. Innocentius, loquens „De nominibus vero recitandis, antequam sacerdos precem faciat“⁵⁾ et longe postea *Vigilius Papa*: „Ordo seu Textus Precis Canonicae.“⁶⁾

¹⁾ S. Augustinus, Sermo 273 nr. 2. Acta Sancti Martyris idem referunt factum cum nomine proprio istius Christifidelis.

²⁾ Liber Pontificalis. Editio citata t. 1 p. 159.

³⁾ Muratori: Liturgia Romana vetus t. 1 p. 588 et 778.

⁴⁾ De Unitate Ecclesiae nr. 17.

⁵⁾ Epistola ad Decentium.

⁶⁾ Epistola ad Profuturum.

Aliunde ipse Cyprianus alibi dicit in eodem sensu: „Sacerdos, ante Orationem, praefatione praemissa, parat mentes fratrum, dicendo: Sursum corda.“¹⁾ Nam ut jam dixi, praefatio est prologus Canonis, ac proinde sub nomine Orationis Cyprianus loquitur de isto Canone. Item non minus clare in Epistola ad Confessores in carcere detentos, eos consolatur et roborat Sanctus dicendo: „Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores (sumus) et quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus, et cum in secessu privatis precibus oramus.“²⁾ Porro numquid verba: „precem in sacrificiis cum pluribus facere“ dubium prae se ferunt sensum, praesertim quando ista precatio solemnissimum tam sedule distinguatur a privatis precibus, quae fiunt in secessu? Nonne idem est ac si diceretur: „recitare Verba Canonis pro confectione sacrorum mysteriorum“ cum revera Canon Missae nihil aliud fere exhibeat nisi preces et orationes? Unde is, qui talibus innitur testimoniis, potest indubie asserere, tenorem hujus excellentissimae precatiois fuisse tempore Cypriani omnino fixum eundemque Romae et in Africa ac probaliter in tota Ecclesia nefasque fuisse tunc precem alteram facere. S. Cyprianus ut scitur pertinet ad tertium seculum Ecclesiae. In prima vero medietate secundi seculi, praefuerunt Cathedrae Romanae duo Sancti Pontifices Alexander (115—125?) et Sixtus (125—130) quibus vulgo attribuitur duplex institutio, cujus authenticitas, si comprobata esset, unice sufficeret ad solide astruendam Canonis Missae apostolicitatem. Licet vero res aliter se habeant, utriusque tamen institutionis faciam mentionem tamquam vestigii seu recordationis traditionis valde antiquae. Porro asseritur de S. Alexandro: „quod miscuit passionem Domini quando Missae celebrantur“³⁾; quae verba sic intelligenda sunt meo iudicio. Ante Alexandrum oratio Canonis: quam oblationem, finiebatur quin adderentur verba: Pridie quam pateretur. Ea vero addidit Alexander in forma sequenti: „Domini nostri Jesu Christi, qui (pridie quam pateretur)⁴⁾ accepit panem in sanctas ac venerabiles manus. „Aliae interpretationes horum verborum Libri Pontificalis propositae sunt, verbi gratia de mixtione aquae in vino, etc. sed non mihi placent. De S. Sixto vero legitur: „statuit, quod intra Actionem mysterii sacerdote, incipiente, populus hymnum decantaret Sanctus.“⁵⁾ Hinc ante Sixtum jam existebat aliqua Actio mysterii saltem inchoata. Porro Canon missae nihil aliud est quam Actio mysterii, seu Canon Actionis

¹⁾ De Oratione Dominica n. 31.

²⁾ Epist. XV n. 1.

³⁾ Liber Pontificalis, editio Duchesne t. 1 p. 127.

⁴⁾ Verba inter uncinos comprehensa sunt additio S. Alexandri.

⁵⁾ Liber Pontificalis, t. 1, p. 128.

mysterii. Solummodo forsitan non Actionem praecedebant praefatio et trisagion ante sextum, qui ea addidit tanquam prologum. Revera Praefatio et Sanctus ante S. Gregorium in Canone tanquam partes ejus includebantur, ut fidem faciunt plura antiqua sacramentaria, in quibus legitur ante Praefationem: „Hic incipit Canon actionis.“¹⁾

Cum Sanctis Alexandro et Sixto fere attigimus aetatem apostolicam, ita ut si Canon Actionis, seu saltem aliqua ejus inchoatio his duobus Pontificibus sit antiquior, ista inchoatio quasi necessario pro auctore indubio habebit aliquem ex discipulis Apostolorum. Si vero nunc liceat mihi conjecturaliter proponere tanquam auctorem proprium dictae inchoationis unum ex numero istorum discipulorum, eligerem prae omnibus aliis S. Clementem Papam. En aliquot hujus sententiae motiva. In primo loco Proclus Constantinopolitanus episcopus, et post eum plures Liturgistae medii aevi, hanc sententiam amplexati sunt.²⁾

In secundo loco Clemens discipulus erat Sanctorum Petri et Pauli, principum Apostolorum, multa hauserat ex eorum colloquiis et familiaritate, multa tandem tradidit seu instituit nomine eorum et tanquam eorum vices gerens seu successor; cur non ita egisset circa modum celebrandi sacra mysteria christianae religionis? Isto modo ad concordiam adducerentur Sancti Augustinus, Innocentius et Isidorus, quorum primus attribuit S. Paulo personaliter aliquam dispositionem ordinis agendi in sacramento altaris.³⁾ dum duo alii eandem dispositionem a S. Petro ordinatam esse supponunt⁴⁾: siquidem tunc quod non per seipsos, hoc per utriusque discipulum egerunt duo principes Apostolorum?

Insuper Clemens Romanus erat genere et educatione, apprimè versatus in jure et litteris, uno verbo is erat jurisperitus seu scholasticus, cui convenienter mandata fuisset a Sanctis Apostolis compositio libelli precum, quas quotidie nomine totius Ecclesiae exhibent sacerdotes majestati divinae: in quo quidem libello ordinando exemplar habuisset seu typum Clemens ea, quae quotidie agebantur ab ipsis Apostolis. Quis scit vero utrum collato Canonis textu cum epistolis authenticis dicti Clementis, non inveniretur inter haec scripta aliqua analogia,⁵⁾ quae novam auctoritatem praesenti assertioni conferrat? Nonne stylus earum simplex, clarus et concisus plane concordat cum sobrietate romana

¹⁾ Sacramentarium Gelasianum, III. 16. Missale Francorum, in fine.

²⁾ De traditione Missae. Patrologia Graeca t. LXV. p. 850.

³⁾ Epistola 54 ad Januar, nr. 8.

⁴⁾ Innocentius Epist. 25 nr. 2 et 3. Isidorus: De Eccles. officiis, 1, 15.

⁵⁾ Confer praesertim primam epistolam dicti Clementis ad Corinthios, n. 60, 61. Insuper verba: Te igitur, clementissime Pater, sunt quasi allusio ipsi Clementis nomini etc.

Canonis Missae? in quo nihil invenitur commune cum amplificatione et verborum redundantia Liturgiarum Orientalium.

Quidquid sit aliunde de istis opinionibus seu assertionibus, quae referuntur ad S. Clementem necnon et ad Sanctos Sixtum et Alexandrum, nam in dubium, fateor, revocari possunt, certitudo ipsius apostolicitatis Canonis Missae non potest in dubium similiter revocari post allata testimonia S. Cypriani pro tertio seculo, et Sanctorum Augustini, Optati et aliorum Patrum pro quarto et quinto seculo. Nam rebus sic stantibus, vim obtinet ineluctabilem celebre adagium a S. Augustino adinventum et tam frequentatum in scholis theologorum. En ejus tenor:

„Illa, quae non scripta sed tradita custodiuntur, quae quidem toto orbe terrarum versantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel a plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.“¹⁾

Porro si Canon Romano Missae applicatur istud adagium, sic ratiocinandum erit:

„Iste Canon non pertinet ad Scripturam sacram, nec fuit etiam in ullo concilio elaboratum. Verumtamen ex altera parte vim habebat legis in tota Ecclesia viventibus SS. Cypriano et Augustino, ut ipsi superius expresse testati sunt. Ergo apostolicus est in substantia, et Romae inchoari debuit ejus redactio ab aliquo ex discipulis Apostolorum Petri et Pauli, qui cum eis familiariter vixerat, et scribebat ex eorum jussu, sub eorum oculis.“

Hinc Apostolicitas Canonis Missae res videtur esse certa et indubia, sed de Apostolicitate substantiali agitur, non de litterali, juxta quam Canon Missae nullam mutationem accidentalem seu additionem accipere potuisset post ejus redactionem: siquidem de facto dictus Canon mutationi obnoxius fuit, et aliquas mutationes accidentales passus est, ut ostensum est, in sex primis Ecclesiae seculis.

Epilogus.

Quamvis Patres Tridentini nunquam aliquid decreverint seu stauerint ex auctoritate circa quaestionem, quae hic est sub iudice, scilicet de Apostolicitate Canonis Missae, de ea tamen isti multa tractaverunt et disputaverunt, modoque sequenti suam mentem circa eam evolverunt: „Canon Missae . . . a multis seculis institutus . . . constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.“²⁾

Haec sunt verba gravia et auctoritatis plena, quae mihi fuerunt lucerna et lumen in decursu hujus praesentis tractationis, haec sunt, quibus aliquid novi ponderis addere conatus sum, me-

1) Epistola 54 ad Januarium, nr. 1, item de Baptismo, IV, 24.

2) Sessio XXII, pars dogmatica c. 4.

diantibus meis exiguis inquisitionibus et argumentationibus de Missa, ideoque eas intra dictum Canonem conclusi. Nam si ultra hujus Canonis limites extendissem campum indagationum mearum, Antiphonis verbi gratia, seu Lectionibus et collectis simul in unum comprehensis, jam in favorem earum vindicare characterem Apostolicitatis impossibile mihi fiebat. E contra vero, meipsum intra dicti Canonis limites constringendo, simul quasi pro unico objecto habui astruere certitudinem rerum de eo assertarum a dictis Patribus Tridentinis. Meumque propositum ad felicem exitum perduxi. Nam revera, ut ostensum est tota praesenti disquisitione, ordo rituum et tenor precum, quibus utitur Ecclesia Romana in confectione Sacramenti altaris, describi debuerunt pro prima vice ex traditionibus Apostolorum et ab aliquo ex eorum discipulis: revera nulla eis postea additamenta seu mutationes accesserunt nisi valde pauca numero, et a solis Romanis Pontificibus excogitata; revera ergo Canon Missae nuncupari potest saltem largo sensu: „Ordo sacerdotalium obsecrationum a Sanctis Apostolis traditarum“, ut asserebat aequivalenter in quinto seculo superius citatus Coelestinus Papa.

Die Gewissensverpflichtung der menschlichen Gesetze.

Von P. Bernhard Schmid, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu Heft II. 1894. S. 177—194.)

III.

Damit ein menschliches Gesetz gerecht sei und moralische Verpflichtung nach sich ziehe, muss es mit den nöthigen Eigenschaften und Bedingungen ausgestattet sein. Diese sind in der Definition enthalten, welche der hl. Thomas gibt, indem er das Gesetz bezeichnet als „quaedam rationis ordinatio ad bonum commune et ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata“¹⁾ Dieser Begriffsbestimmung gemäss muss das Gesetz 1. von dem competenten Oberhaupt der Communität (ab eo, qui curam communitatis habet) erlassen; 2. als eine rationis ordinatio seinem Inhalte nach physisch und moralisch möglich und 3. der Form nach gehörig veröffentlicht (promulgata) sein.

1. Damit ein menschliches, und zwar zunächst ein bürgerliches Gesetz giltig sei und eine moralische Verpflichtung habe, ist vor allem nothwendig, dass derjenige, der es erlässt, hiezu

¹⁾ S. I., II. qu. 90. art. 4.